

illi spiraculum vitæ dicit scriptura, factum esse hominem in animam viventem utique non mutatione physica corporis in animam, sed arctissimâ utriusque unione in unum ὑπεράπερον: Ita pati ratione, Verbum Caro factum esse dicitur, non conversione unius naturæ in alteram: sed unionem longè arctissimâ, quâ nihil arctius, nihil coniunctius, sine ullâ tamen commixtione, confusione, aut conversione dari aut cogitari queat. *Vide D. Chemnit. l. de duab. nat. c. 9. p. 52. b.*

94. Hanc ineffabilem Unionem D. Apostolus valde graphicè depingit; In Christo, inquiens, inhabitat tota plenitudo Deitatis σωματικῶς corporaliter. *Colos. 2. 9.*

95. Initio enim non de divinis, at finitis donis, habitibus & qualitatibus; Sed de ipsa Divinitate loqui Apostolum, in confessō est.

96. Deinde non de parte aliqua, sed de plenitudine Divinitatis, & quidem omni, hoc est, quicquid in ipsa divinitate est, & ad eam pertinet, idem affirmat.

97. Tum Emphaticum prorsus Adverbium σωματικῶς, quo non modus huius inhabitantis, qui certè corporeus non est: Sed subiectum, ut sic loquar, exprimitur, Natura nimirūm, quæ sit habitaculum inhabitantis τὸν οὐρανόν

TG